HONOS VIRTUTIS PRÆMIUM

DISSERTATIO INAUGURALIS PRACTICO-MEDICA DE INFLAMMATIONE VENTRICULI.

QUAM
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS
BERNHARDINI DE MOOR,
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS, HUJUSQUE FACULTATIS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII, IBIDEMQUE ECCLESIÆ PASTORIS.
NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu*, & *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis rite ac legitime conſequendis,
Eruditorum Examini ſubmittit
HENRICUS FRANCISCUS BERNARD,
LUGDUNO BATAVUS.
Ad diem 21. *Julii* 1756. *hora locoque ſolitis*.



LUGD. BATAV. Apud GERARDUM POTVLIET.

DEO,

PATRIÆ,

PARENTIBUS,

CONSANGUINEIS,

PRÆCEPTORIBUS,

ATQUE

AMICIS.

Hanc diſſertationem ea, quæ par eſt, reverentia dedicat

AUCTOR.

DISSERTATIO PRACTICO-MEDICA INAUGURALIS

DE

INFLAMMATIONE VENTRICULI.

§. I.

Lex quum obtineat, Doctorandis impoſita, ut ut hi, Studiis Academicis valedicturi, quid, pro ſpecimine progreſſuum in ſtudiis ſuorum, in lucem proferant. Quare, poſtquam diu mihi dubius hæſit animus, qua vero ſuper materia, an ex Phyſiologicis, vel Pathologicis, vel aliis differerem; tandem perſuaſum mihi eſt de ventriculi Inflammatione, non quidem ita facili & Levi negotio, per-

ſpecta mearum virium tenuitate, abſolvenda peragendaque materia, fateor; attamen affectu periculoſiſſimo & frequentiſſimo, aliquid in medium proferre. Interim L. B. monitum volo, ne quid novi, hactenus nondum auditi, reſpectu conſiderationis theoreticæ, vel & practicarum obſervationum, exſpectet. Publice fateri minime erubeſco, omnia, quæ in breve compendium redegi hocce, partim ex Mellifluis meorum, ad ultimam vitæ auram, ſummis honoribus proſequendorum, Præceptorum; partim ex optimis auctoribus, expetita atque collecta eſſe; Pauciſſima admodum, ſi quæ, propria deprompta decerptaque ex ingenio. Id Circo L. B. hiſce, ut ut a tyrone juveni prolatis, fave, ſi quæ recte, ſin minus; æquo & benigno corrige animo, putaque humeros juveniles tanti oneris moli ſuſtinendæ, non ſolum ſufficere minime, verum & impares eſſe.

§. II.

Antequam aggrediamur rem ipſam, ordo dictitat, ut præmittatur deſcriptio brevis nobilis hujus Viſceris, ratione fabricæ ſuæ, ſitus, uſusque in œconomia animali. Verum temporis penuria, propoſitumque noſtrum conſcribendi tantum ſpecimen, non autem tractatum, ſuadent, brevitati ut ſtudeamus, haudque diu his immoremur. Quippe quod ad hoc rite peragendum diſſertatiunculæ propoſitus campus minime ſufficeret, quum, præ fabrica ac uſu ampliſſimo, & organiſatione admiranda organi hujus, extenſior multo curſus foret ineundus, quam quidem animus eſt intendere. Verum enim vero oportet nihilominus, breviſſimam licet, aliqualem tamen ideam viſceris, cujus affectum primarium Inflammationem nempe, diſſerere ſuſcepimus, ut ut generaliſſimam, præmittere. Hinc Ventriculus mihi audit Vas membranaceum, magnum, capax, duobus orificiis, cardia enim ac pyloro, inſtructum, alimentis recipiendis, retinendis ac immutandis, expellendisque ab officio dicatum, ſitum mox

ſub

ſub diaphragmate, maximam partem in Hypochondrio ſiniſtro, oblique medium inter Hepar & Lienem, vaſis omnis generis refertum. Non eſt, ut diutius nos occupatos, in explananda fabrica ac uſu Ventriculi, teneamus. Ratio ſupra allata. Quare generaliſſimis hiſce, ut ut ſufficientibus, ſubſiſtimus. Neque amplus nobis ſermo arridet de inflammatione in genere, cum in ſpecie tantum nobis pro themate ob oculos verſatur ea, quæ incidit in ventriculum. Prior autem ſpeciale & ſibi privum exigit ſpecimen. Hinc, expetita & impetrata venia Lectorem, inter alios, omnium inſtar remittimus ad *Celeberrimi Hermanni Boerhavii* Aphoriſmos *de Cognoſc. ac curand. morbis*, *Capite de Inflammatione.* Verum exigit a nobis tamen rei dignitas utilitasque, ad noſtrum Scopum præſentem ſpectans & accommodata, brevis ut Inflammationis detur in genere definitio: quæ Medicis nuncupatur, Liquidi ſanguinei arterioſi in minimis canaliculis ſtagnantis ac morantis præter naturam preſſio, cum attritu ingenti, inducto per motum reliqui ſanguinis moti, & per febrim vehementius adacti. Patet ex definitione tradita de Inflammatione hanc æque in Ventriculo, ac quacunque alia parte vaſculoſa exoriri, quippe quod ſit vas valde vaſculoſum, vaſis omnis generis præditum. Non opus erit hoc adſtruere multis, cum Hodiernorum nemo, leviter modo cognitione anatomica ac phyſiologica imbutus, amplius de veritate ambigat. Ars vero injectoria, microſcopiorumque notio & legitima adhibitio ſat ſufficienter enim docent Ventriculum, omnis generis vaſis refertiſſimum, ſemet indagantis viſui cernendum præbere. Hæc unde oriantur, quomodo diſtribuantur, decurrant, cuinamque uſui inſerviant, e re noſtra fore præſenti duco ac arbitror.

§. III.

Præmiſſis generalioribus (§. II.), jam proxime ducimur ad ſpecialiora thematis noſtri. Scilicet inveſtiganda nunc proxime

me ſe offert ipſa Inflammatio Ventriculi. Hæc dicitur adeſſe, quando Ventriculus, breviſſime ac generaliſſime deſcriptus (§. II), afficitur Inflammatione, ibidem tradita. Breviſſime itaque morbus ille ſic definiri poterit, ut ſic *ſtagnatio liquidi cujuscunque rubri arterioſi in ipſiſſimis canaliculis Ventriculi arterioſis, conjuncta cum attritu urgentis liquidi a tergo, cum febre continua acuta ſtipata.* In examine itaque hujus morbi reſpiciendum nobis 1°. ad ſigna, quæ teſtantur talem & non alium adeſſe morbum, Diagnoſtica dicta, 2°. ad cauſas, 3°. ad Prognoſin, 4°. ad exitum, 5°. & ultimo ad curam.

§. IV.

Quo ad 1um (§. III.). inter ſigna diagnoſtica primum locum & merito tenet Dolor pungens, ardens, fixus, in ipſo ſtomachi loco. Cavendum tamen, ne decipiatur Medicus, cum adſitum Ventriculi probe ſit reſpiciendum, quem ſæpe mutat. Quum nunc hoc veriſſimum ſit, omnino ſciendum, quemnam ſitum nunc temporis, quemnam alio tempore habeat. Alium enim dum vacuus, alium dum cibis impletus turget. Cum vero vacuus altius, impletus depreſſius hæret, id eſt ſub ſtatu primo magis adſcendens proprior ſit diaphragmati; ſub ſecundo enim magis declivis, ab eo plus recedens, profundius in ipſum abdomen, obverſo tamen ejus fundo verſus anteriorem abdominis partem, unde quod eo momento venter plus prominulus, quam alio, cernatur, declinat. Ni hoc rite examinetur, facilis Medico in errorem foret Lapſus, dum crederet malum in ipſo thorace hærere, quum præſens foret, infra ſeptum medium, in Ventriculo ipſo. In acutis, ubi plerumque affectat ſitum altiorem thoracem verſus, in quibus dolor talis ingens, pungens, fixus &c. cernitur, Obſervatio iſthæc haud levis eſt momenti, ad bonam firmamque formandam Diagnoſin. Præprimis ſi abſint ſigna pathognomica inflammatarum partium in ipſo thorace, & accedant alia, jam ſuſpectum morbum præ-

ſen-

ſentem ſat firmiter indicantia. Inter hæc 2°. recenſent Auctores exacerbationem doloris in ipſo puncto. Hoc eſt, ſummum augmentum ejusdem momento, quo quid ingeritur, blandiſſimum licet ſit. Quare ejusmodi ægroti præ ſummo doloris incitamento magnas terribilis hujus ſymptomatis querelas effundunt, abſtinentque ideo, metu exacerbationis ſummæ, ab uſu cujuſcunque generis cibi potusve, blandioris licet, ſola hac de cauſa, quamvis, quod plerumque non, vel nunquam in noſtro morbo, optime appetitus vigeret. Hinc Medici eſt, inquirere abægro, ut certior reddatur in diagnoſi formanda, ſi ipſe æger modo jam non indicaverit, num, ingeſtione peracta, ſummopere exaſperetur dolor in ipſo puncto. Quod ſi verum, eo major Lux, ad firmam condendam Diagnoſin, elucescit. 3°. Medici Practici inter ſigna hæc annumerant vomitum valde dolorificum, cum ſingultu admodum moleſto, ſtipatum. Nam affectu noſtro decumbentes miſeri, inviti horribili, velint nolintve, ſymptomate hocce miſere excruciantur, fruſtra & incaſſum adhibitis omnibus, cujusque generis, naturæ moliminibus conaminibusque ad aufugiendam deprimendamque moleſtam valde & dolorificam hancce vomituritionem. Porro 4°. anxietas ſumma ac continua ad præcordiorum territorium. Neſciunt enim ægri, præ ſummis anxietatibus, quorſum ſemet, ut in omnibus, vel ſaltem plerisque inflammatoriis morbis, maxime in affectu noſtro, propter vicinitatem loci affecti & inflammati, copioſiſſimis ramis nervoſis inſtructi, vertant, ut moleſtiſſimam hancce & ingratam ſenſationem aufugiant. Quid proprie hæcce ſit, nemo, niſi hanc expertus, credo recte percipere ac deſcribere poterit. Non raro præterea cernere contingit, ut ſub hoc morbo, tumor præternaturalis, teſtibus obſervatoribus, in exteriori epigaſtrio, viſui & tactui ſe offerat. Id circo & hic prætermitti minime poteſt, licet affectus noſter, ſine eo externe apparente, & adeſſe, & abeſſe poſſit. Etenim tumor ad interiora plerumque vergens, ſemper ſenſibus Medici explorantis haud cernendum ſe offert. Quod ſi nunc omnia

memorata adſint, abſintque ſimul ſigna pathognomica aliarum inflammationum, accedantque febris continua acuta, pulſus durus, inæqualis, parvus, attamen frequentiſſimus, conſtipatior alvus, urina flammea, ceteraque inflammationis in genere ſigna, atque ſymptomata ejusdem frequentia comitentur, ut V. G. delirium, animi deliquium non raro, vigiliæ; in fine inſtante morte in extremis refrigeratio, in interioribus fervidus æſtus, convulſiones &c.; certo certius in ſpecie eam adeſſe Inflammationis ſpeciem aſſero, quam vocant Medici ſpeciatim Inflammationem Ventriculi.

§. V.

Tradita ſigna (§. IV.) diagnoſtica Inflammationis Ventriculi, quibus mediantibus, ſpecialis, hujus Inflammati organi & non alius, notio, Medico ſiſtitur; quamvis in multis, cum aliarum partium Inflammatarum ſignis conſpirent, tamen, hisce inter ſe comparatis, non ſolum ſufficiunt ad præſentis mali indolem ac ideam abſolvendam & indicandam, verum & in multis circumſtantiis ſibi priva ſiſtit ac habet Inflammatio Ventriculi, quæ in ceteris Inflammationibus non adſunt; & vice verſa in aliis Inflammationis ſpeciebus adſunt, quæ in hac ſpecie non obſervantur. Rem, quibusdam exemplis, illucidare, non abs re fore puto. Sic Paraphrenitis a noſtro affectu differt, licet multa communia horum morborum adſint ſigna, in eo, quod in hoc morbo, & non in ventriculi inflammatione, riſus Sardonicus ſemet manifeſtet. Tum & in eo, quod reſpiratio in Paraphrenitide, ut plurimum, ſit impeditior, quam in Ventriculi inflammatione. Si porro ad cardialgicos attendamus dolores, in hiſce plerumque mitius affligit morbus. Si vero in partibus vicinis, ut Hepate, in eo caſu primo ſitus differt, adeoque facile dignoſcenda Hepatitis a Ventriculi inflammatione. Præterea dolor in Hepatitide non adeo vehemens, non ita pungens, cujus rei ratio in eo conſiſtere videtur, Ventriculum, præ Syſtemate ner-

nervoſo longe ditiori, eſſe ſenſiliorem, hincque poſita eadem cauſa, plus ac vehementius poſſe affici, quam viſcus minus ſenſile. Tandem, ſi inflammatio in exterioribus locum teneat, tunc intus mitiora ſymptomata, vel nulla; e contra in ipſa Ventriculi Inflammatione, ubi omnia majori ferocia ſtipata cernuntur.

Quare, notatis differentiis hiſce, unicuique liquet, ad veram Gaſtritidem requiri, ut ſigna memorata adſint, ſaltem præcipua, ſin minus, morbum, non pro vera inflammatione ventriculi ſalutandum, ſed pro tali, qualem ſigna indicantia pathognomica, affectui præſenti priva, pro rei diverſitate, dictitant. Idem nunc morbus, quem, quo ad diagnoſeos formationem explicuimus, ut morbum; ſæpiſſime vero non ut talis, ſed ut alterius morbi ſymptoma, exiſtit. Sic ei obnoxii frequenter ſunt, Varioloſi, Morbilloſi, & peſte afflati. Videtur tunc cauſam per aërem, miaſmate ſingulari morboſo imbutum ac inquinatum, ope ſalivæ admiſtionis, vel alia ratione, intus delabi, & ſemet Ventriculi parietibus affigere, ut tandem ſtimulo inimico ſuo noſtrum proritet malum, ſicque horrendam tragœdiæ ſcenam ludat. Forte alia & ratione talis ſingularis exoritur affectus. Sufficiat Practicas obſervationes idem teſtari, ut ſatis ſuperque paſſim ex variis obſervatoribus nobis conſtat. Diagnoſis tunc formatur ex morbi ſævientis prægreſſi natura, conſtitutione epidemica, ceterorumque plurium, pauciorumve ſymptomatum præſentia.

§. VI.

Poſtquam jam Ventriculi Inflammationis (§. III). tradita ſunt ſigna diagnoſtica (§. IV), cum notis diſtinctivis pathognomicis, quibus ab aliis differt (§. V.), Aperta jam patet nobis via, ut, ad propoſiti noſtri finem 2um (§. III), qui enim in cauſarum hujus mali exhibitione conſiſtit, nos convertamus. Harum enim aliæ ſunt univerſales, quas communes cum reliquis Inflammationum ſpeciebus habet; aliæ parti-

ticulares ſeu ſingulares, quæ ſpeciatim hanc determinatam progignere valent Inflammationem. De Prioribus, ne nimis ampli videamur, non eſt, ut agamus. Harum etenim ſeries ampla admodum atque fuſa apud varios auctores exſtat. Videantur hac ſuper re varii, omnium inſtar ſufficit referre L. B. ad *Cl. van Zwieten* Commentaria in, nunquam ſufficiente laude, celebrandos, *Illuſtris ac immortalis Hermanni Boerhavii*, aphoriſmos, ubi autem ordine omnia rite exponuntur. Particularium, id eſt noſtri affectus ſpeciei tantum addictarum, inveſtigatio ſolummodo nobis ob oculos verſatur. Hæ, variæ admodum, exigunt, ut ordinatim ſeorſim explicentur. Quare præmiſſa generali cauſarum particularium Inflammationis Ventriculi, in cauſam proximam, procatarcticas, atque remotas diviſione, ad harum contemplationem accedimus.

§. VII.

Cauſa proxima (§. VI) Inflammationis Ventriculi, (quæ morbum noſtrum immediate producit, qua ſublata, morbus tollitur, qua præſente naſcitur;) conſiſtit autem in ſpiſſitudine præternaturali ipſius ſanguinis arterioſi rubri, vel in coarctatione ipſorum vaſculorum, ita ut liquidum, quod naturaliter per illa tranare debet, coërceatur atque ſiſtatur; vel combinata ex hiſce duabus ſimul, ita tamen, ut ſimul accedat impetus moti ſanguinis reliqui, a tergo urgentis, in ſtagnantes partes, cum febre conjunctus. Cauſæ vero procatarcticæ noſtri affectus, quæ ventriculum enim diſponunt itaque mutant, aptus ut evadat memoratam cauſam proximam in actum, ut morbus naſcatur, deducere; commode referri puto poſſe, ut Veterum retineamus diviſionem, ad Claſſes ſex rerum non naturalium. Quæ celebrantur ſequentes, ut 1°. aër. 2°. cibus & potus. 3°. motus & quies. 4°. ſomnus & vigiliæ. 5°. excreta & retenta. 6°. animi affectus. Remotæ vero, in quibus conſiſtant, ſuo poſtea loco cerni poterit.

§. VIII.

§. VIII.

Inter cauſas Procatarcticas, ex fonte ſex recenſitarum (§. VII.) rerum non naturalium hauriendas, 1°. loco occurrit ipſe Aër. Hic enim, quo, ne per momentum, carere valet homo, quacunque ratione ac via (§. V.) intus delatus, poteſt, modo accedat ad Ventriculum, ſique in ſe recondat particulas quasdam noxias, ut V. G. effluvia cauſtica, adſtringentia, coagulantia, vel alia &c.; noſtrum affectum producere. Præprimis, ſi venenatæ ac contagioſæ ipſi inhæreant particulæ, incognitæ, verum ſummæ acrimoniæ, ut pluribus exemplis, tritiſſimo haud raro fato, eheu! nimis crebro, compertum notant obſervatores fide digni. Cum plurimi, ſectionibus Anatomicis inſtitutis in hominibus, peſtis graſſationis tempore, eo defunctis; eorum invenerint Ventriculos Inflammatos. Nec aliter poteſt, quin miasmate tali imbutus aër, ut ut acerrimo, in viſcere tam ſenſili, ac eſt Ventriculus, ſyſtemate ſanguifero præter ea ditiſſime ornato, tam horrendam procreet Inflammationem. Quippe quod ſenſiliſſimum ſyſtema nerveum, cujus interventu toto fere cum corpore conſentit Ventriculus, prævalide irritatum ac vehementer ſtimulatum, enormes ineat motus violentos, ſicque & ſimul cum inquinamento aëris afficiat deinceps ſyſtema arterioſum, unde tunc conſtrictiones, retropulſiones, ſtagnationes, obſtructionesque naſcantur, neceſſe eſt. Quare, creſcente impetu liquidi arterioſi irruentis in loco obſtructa, veram fieri debere Inflammationem, quis negabit? Alia forte res ſe habet ratione, attamen mihi ſic videtur explicatu facilis. Idem nunc aër aliis noxiis qualitatibus nocere poteſt, verum mala inde redundantia, ut V. G. a perſpiratione inhibita & delata defixaque ad Ventriculum, ut aliquando fit, eodem exiſtente nimis frigido & humido; potius ad morbos referenda puto tradendos, ubi ad excreta & retenta, ut cauſas procatarcticas, pervenerimus. Hæ vero qualitates aëris præter ea, ut idem ſubito frigidior, nebuloſior atque humidior, nimis calidus & ſiccus, gravis-

que, neque & non juſto Levior; non ita in Ventriculum directe agere valent. Unde noſtro affectui producendo vix pares. Hæ autem, cum in pulmones præcipue imperium habeant, potius morbos pectoris non raro creant, ut peripneumonicos affectus, & his ſimilia mala. Verum non tamen omnino cenſendum, ac ſi memoratæ aëris conditiones noxiæ, ad noſtrum affectum producendum, nil quidquam contribuere poſſent: ſic E. G. diatheſis in ventriculo calida, ac inflammatoria exoriri nonne poſſet, æque ac alia in parte, ab aëre nimis calido ac ſicco, vel ſimiliter conſtituto, a diſpendio liquidiorum, & incraſſatione ac coagulatione reſiduorum? Abſolute. Hinc dicimus potius atque frequentius noxas inde exoriri in pulmonibus. Ratio ex ſupra allatis ſponte explendeſcit. Verum contrarium & obtinere haud poſſe non abſolute aſſerere negative audeo.

§. IX.

Poſt aërem, inter procatarcticas cauſas 2°. loco ex claſſe ſex rerum non naturalium, Cibum & Potum recenſuimus (§. VII). His non diu carere valet homo; licet proſtent exempla, ab obſervatoribus tum ſacris, tum profanis notata, quosdam per tres, quatuor, ſeptem, undecim, quatuordecim, quadraginta, plures immo dies, iis deſtitutos vixiſſe. Verum a particulari, ad univerſale, nonvalet conſequentia. Rariſſima hæc ſunt exempla. Etenim ſunt corpora, quorum ope corpori humano vitæ pabulum ſuppeditatur, per vires nempe vitæ ac naturales actiones elaborata ſi ſint, in que noſtram Naturam poſtea aſſimilata; quibus reſtituitur, ſummo Boerhavio loquente, tantum & tale in humobrius ſolidisque perpetuo, quantum & quale per vitæ motus perditur. Hæc nunc, alimentorum nomine inſignita, duplici ratione peccare poſſe, omnibus notum eſt. Scilicet vel quantitate, vel qualitatibus. Copia ubi peccant, rurſus error conſiſtit vel in exceſſu, vel in defectu. In exceſſu ſi ſit commiſſus error, nonne ſequi neceſſario debet, ut ventricu-

triculus, iis repletiſſimus, omnem in dimenſionem vehementer expandatur? Quid inde? Nonne, poſito hoc, maximopere comprimi & extendi debent neceſſario vaſcula, per ejus ſubſtantiam copioſiſſime perreptantia, ut libere per ea ſanguis circulum abſolvere nequeat? Nonne itaque tunc exinde quam facilime poteſt ſtagnatio, obſtructio, ac Inflammatio denuo naſci? Certe res ipſa credo loquitur.

Defectu enim vitium ſi ſit commiſſum, id eſt dum nihil ingeritur, ſed totalis omnis adeſt alimenti inedia; idem conſequi poſſe malum, non ignota res eſt. Tunc enim, pergente actione vitæ, quæ conſiſtit in motu ac attritu, ſpeciatim, ſicut in reliquo corpore, & etiam in ventriculo fiat diſſipatio, putrefactio, (nam partes corporis humani, ſibi commiſſæ, id eſt, ni continuo renoventur & ſuſtententur, e Natura nactæ ſunt conditionem pronam in putrefactionem;) inde Cacochymia univerſalis, ac topica, corroſiones partium, & quæ plura naſcantur, neceſſe eſt. Quibus attente ponderatis, quis audet non ſtatuere hanc inediam, inter noſtri morbi cauſas poſſibiles procatarcticas? Immo quis non videt, quod, ſi hacce de cauſa naſcatur, ſit longe pejor ſtatus ac conditio ejus, quam ſi originem traxiſſet ex quantitate excedente? Ratio cujus diſcriminis, ratione melioris pejorisve morbi ſtatus, unice conſiſtit in poſſibilitate expulſionis abundantis, levi aliquando, in principio ſaltem, negotio peragenda; & e contra in impoſſibilitate reſtitutionis momentaneæ ac reparationis eorum, quæ deficiunt, indeque natæ diatheſis putridæ, ſumme acris, alterationis ſubitaneæ.

Qualitatibus nunc ſi peccent alimenta, varia ratione hæc nocere poſſunt, pro varietate acrimoniæ in iis peccantis. Quæ multiplex, ut oleoſa, rancida, aromatica, cauſtica, putrida &c. eſſe poteſt. Quomodo nunc ſingulæ memoratæ qualitates in his acres, producendo noſtro morbo vacant; nimis longum foret in ſingulis exquirere. Sufficit in genere annuere, haſce diram noſtram Inflammationem producere valere, quatenus hæ ſtimulo ſuo hoſtili ac acerrimo

vario,

vario, motum humorum in ventriculo, coagulando, corrodendo, vel alio modo ſtimulando, intercipiant; in reliquis partibus augeant, ſicque dolores congeſtivos, obſtrúctiones, anxietates, ſpaſticas conſtrictiones, bilis incendia, vomitus, calorem præternaturalem febrimque excitent cieantque.

In Potu nunc petatur error, neceſſitas ac rei ordo dictitant. Nonne hic, ſicuti cibus, variis modis & diverſis qualitatibus acerrimis, noſtrum morbum producere poteſt? omnino certe. Hæ, quo ad conditiones nocivas diſpeſci ſolent in acrimoniam ſpirituoſam ſimplicem, vel compoſitam, ac dein fermentantem. Prior, ſimplex, conſiſtit in abuſu E. Spiritus vini, juniperi, ſimiliumve compoſita; cum potui ſpirituoſo admiſta ſint aromata: Poſterior vero acrimonia fermentans dicta obſervatur, exempli loco, in cereviſiæ quibusdam ſpeciebus, viniſque ſub actu fermentationis clauſis. Has nunc & ſimiles qualitates acres in potu, quatenus hæ exſiccent, coagulent, ſtimulent, vel flatus, ſpasmos, vomitum, aliaque mala proritent, noſtro affectui anſam præbere certiſſime poſſe, quis in dubium vocat? Nam & ipſam aquam, vel alium potum, modo frigidum, omnis acrimoniæ expertem, quam ſæpene obſervatum legitur, maxime in corporibus vehementer calore incenſis, triſtiſſimam producendo ſubitaneam inflammationem, mortis inevitabilis fuiſſe cauſam? Quanto magis itaque non idem expectandum, ſi potibus memoratæ acerrimæ inſint qualitates acerrimæ?

Præter alimenta nunc & potulenta, ſunt & corpora remediorum nomine venientia, inter quæ nonnulla, intempeſtive ac incaute adhibita, varios & terribiles ventriculo imprimendo motus, ſimili fere modo ac ingeſta alimentaria acria, noſtro malo proritando, apta. Talia autem ſunt purgantia per ſuperiora, vel & inferiora, violentia admodum & draſtica. Hæc, quatenus Liquidiora expellant, craſſiora relinquant, atque validiſſime ſtimulando ac irritando motus enormes convulſivos, ſpaſticos procurent; Ventriculo Inflammatoriam labem impreſſiſſe, non raro cernere contigit. Huc tandem ſpectant

ctant venena. Hæc petita quocunque ex regno ſive Animali, Vegetabili, Minerali vel Foſſili, infortunio vel quacunque ratione intus delata, vehementiſſimam non raro produxerunt Inflammationem ventriculi. Harum, cum amplisſima ſeries ac catalogus ingens detur, omnium mentionem facere, nimis longum omnino foret. Sufficiat quædam, ut ut ſæpius funeſti eventus, proh dolor! Obſervata enumerare. Sic enim cantharides incaute ingeſtæ arſenicum, vitrum antimonii, mercurius ſublimatus corroſivus, aqua fortis, cicuta aquatica, atque alia plurima, ſæpisſime plures, dira Inflammatione nata, emedio tulerunt. Et nullo modo mirum hoc eſt, quam ſubitiſſime tale exinde poſſe exoriri malum. Nam, quam ſenſilis Ventriculi fabrica? Quam acrisne venenorum natura? His nunc accedit, obſervationes, a fidelibus indagatoribus, relictas & annotatas ubique fere in promptu eſſe; quibus res extra omne ponitur dubium. Et licet hæ deficerent, quod non, ratio ipſa, ut ex allatis ſponte conſtat; earum ſuppleret defectum.

§. X.

Nunc ſe offerunt examini noſtro ſubmittuntque 3°. loco Motus & Quies (§. VII.). Sunt enim ſtatus, ſibi toti quanti oppoſiti; quare ſingulatim alteruter in ſpecie inveſtigandus. Ordiemur a motu, intelligendo nimium, muſcularem præcipue. Hic, ſi nimius, in univerſum auget curſum ſanguinis, ita ut hicce multo rapidius ac fortius circumagatur, incitatis corde ac arteriis ad celeriorem vehementioremque contractionem; præcipue ſub aëre ferventi atque ſicco. Unde ſubtiliorum diſſipatio, reſiduarum autem, magis compactarum, diſpoſitio prona in denſitatem Inflammatoriam &c. Sicut nunc hæc exinde in totum redundare valet corpus, & univerſales topicasque quascunque inducere diſpoſitiones, ad Inflammationes ſuſcipiendas aptas; ita etiam in Ventriculo idem fieri ac obtineri poſſe, non mirum. Præcipue cum hic, pari vitæ

ac conſtructionis vaſculoſæ, aliis ſimilis, ratione, æque huic ſuſcipiendæ aptus ac alia quæcunque pars. Nec non admirandus, qui datur, inter Ventriculum & reliquum corpus conſenſus, idem luculenter comprobat.

Quies vero nimia, plane oppoſitus priori ſtatus, nonne, propter attritum imminutum, in toto ac in parte, tenaciorem fluidis cohærentiam inducit? Quid inde? Nonne, aucto niſu cohærendi, inducta iis inſpiſſatione; neceſſario oleoſa craſſa ac terreſtria augebuntur? An ergo, hiſce poſitis, nimia quies non poſſit, e longinquo etſi, noſtro affectui producendo viam parare, perpendenti rite non mirum videbitur.

Huc, 4to loco, referimus Somnum atque Vigilias (§. VII.). Quæ quoniam ſimili fere, ac motus & quies nimia ratione agunt, ſeorſim ut de iis agatur; vix indigent. Verbo ſufficiat dicere, ſomnum plus juſto protractum ſimilia in corpore humano producere mala, ac quies nimia. Vigiliarum vero modum excedentium effectus, ſimilitudinis ratione, ſunt iidem, ac motus nimii. Unde repetere idem, non opus eſſe putamus.

§. XI.

Inter ſex res non naturales, locum 5tum occupant (§. VII.) Excreta ac Retenta. Hæc, quæ excernuntur retinenda, & retinentur excernenda multiplicia eſſe poſſunt. Quod attinet (*a*) ea, quæ excernuntur retinenda; intelligi hoc debet de excretione nimia, cum alias vix inde noxii quid ſit exſpectandum. Ad hæc referuntur liquidi ſubtiliſſimi, inſenſibilis perſpirationis Sanctorianæ nomine inſigniti, excretio ultra modum; ſudoris, urinæ, ſalivæ, ac plurium, quæ huc facientium, excogitari poſſunt excretiones auctæ. Omnia nunc memorata liquida, præcipue tamen ſubtiliſſimus perſpirabilis ille ros; ſi nimia, ac majori in copia excernatur, quam par eſt, Inflammatoriam omnis generis diatheſin quam facillime producunt. Etenim per excretiones tales, ubi id

excer-

excernitur, quod intus neceſſario retineri deberet; liquidiora humorum educantur, reliqua inſpiſſentur, ſicque obſtructionibus Inflammationibusque generandis, pares reddantur, neceſſe eſt humores. Quoad retenta (*b*); intelligi hoc debet, ubi id, ut ex ante dictis jam conſtat, retinetur, quod naturaliter excerni deberet. Huc nunc pertinent variæ excretiones naturales impeditæ, ſcilicet fluxus in ſexu ſequiori, menſtruus dictus, impeditus, in viris, vel & etiam in feminis, hæmorrhoides ſuppreſſæ; Hæmorrhagiæ verbo quælibet aſſuetæ naturales, ſi ſuppreſſæ, varias congeſtiones, obſtructiones, nec non Inflammationes variarum partium, obſervatæ nonnunquam fuerunt produxiſſe. Quod, triſtiſſimo haud raro eventu, a pluribus obſervatoribus obſervatum paſſim legitur. Sic licuit, ante aliquod tempus, mihi cernere Inflammationem ventriculi in puella, cui ſubſiſtebant menſes, probabile exinde oriundam, prægreſſa emeſi cruenta, vehementibus tenſionibus ac doloribus congeſtivis in Epigaſtrio ſtipata, inſtituta venæ ſectione in pede ac reconſiliato fluxu periodico, adhibitis anti-phlogiſticis ſolitis, leniterque determinantibus verſus uterum medicamentis, ſat ſubito curatam. His nunc aliæ adhuc accedunt; ut perſpirationis inſenſibilis excretio ſublata vel imminuta, urinæ, in aſſuetis plenaria ſalivæ retentio, forte & ſeminis, quibus plethora, & intermiſſæ evacuationes artificiales tandem poſſunt addi. Ratio conſiſtit unice in ſupra pondio humorum, unde facili de cauſa, nata congeſtione verſus hanc vel illam partem, ac obſtructione phlogiſtica, Inflammatio prorumpere valet. Quæ, pro diverſa congeſtionis ac natæ Inflammationis ad hanc vel illam partem determinatione, diverſo loco enaſcitur; ſique ergo directio fiat ad Ventriculum, noſtrum affectum progignere poteſt.

His, omnium commodiſſime nobis videtur, poſſunt annumerari acria in corpore ipſo genita noſtro, inque eo latentia. Inter hæc materia acerrima purulenta, ichoroſa quælibet, quocunque ex loco, quacunque ratione ac via, ad Ventriculum per metaſtaſin delata, non infi-

mum tenet locum. Hæc, non raro, viſa fuit, inter procatarcticas Inflammati ventriculi cauſas, princeps. Quomodo, ex metaſtatica tali materia, noſter originem trahat morbus; ex allatis (§. IX.), (ubi de acribus ingeſtis actum eſt), conſtat. Etenim, ſimili tunc agere modo, probabile admodum. Ipſa præterea bilis acris reddita, ut & acrimoniæ aliæ, liquidis inhærentes noſtris, ad Ventriculum directæ, non infrequenter noſtri mali geneſi proritandæ vacant.

Ultimo libet nobis, ad hanc acrium, in ipſo latentium corpore, claſſem referre vermes. Cum hi, in primis viis excluſi, geniti & latentes haud raro ſuxione, corroſione, excoriatione, vel alia ratione, topicam noſtram procrearunt Inflammationem.

§. XII.

Tandem inveſtigatio pervenit noſtra 6to ad Animi affectus (§. VII.) ultimo recenſitos. Hi varii admodum, ſæpiſſime inflammationes diverſas ſpeciatim & Ventriculi, teſtante experientia, produxerunt. Omnium, in ſingulis enarrationem exhibere, res non ſolum tædioſa valde, verum & in multis inextricabilis admodum; præ non ita hactenus aperta, ratione actionis Mentis diverſæ in corpus, notione, foret. Quare experientiæ præmonſtranti, ut ut fideli ac optimæ magiſtræ, ſubſiſtimus. Medicorum practicorum plurimi rem illam, ſæpius hac de cauſa compertam, exhibent. Sic excandeſcentia in iram, ſæpe, teſtante *clar. Fr. Hoffmanno*, ab eo viſa fuit cauſa noſtri mali. ut decade 2°. diſſertat. 7ª. par. 17. legi poteſt: Ubi ſecum *Hildanum* conſentire refert, qui ſimilem obſervationem cent. VI. obſerv. 34. reliquit. Videtur gravior animi talis, vel ſimilis, affectus totum Syſtema nerveum, ac ſenſorium commune, tam violenter afficere ac interturbare poſſe, ut, inductis ſpaſticis motibus vehementibus, univerſales, vel topicæ ſæpiſſime Inflammatione vel connaſcantur. Verum enim vero cum nunc in animi affe-

ctu graviori ſæpiſſime, validiſſima ſpaſticorum illorum motuum, atque cum his congeſtionum, obſtructionumque, determinatio fiat ad ventriculum, ut conſtat ex conſtrictione ac tenſione in Epigaſtrio, circa ſcrobiculum cordis, ardore, ceterisque hujus mali notis; nemini mirum videri poteſt, quin, quam facillime, ilico hæc topicam noſtræ Inflammationis ſpeciem inducere queat.

§. XIII.

Hactenus a (§. VIII. XII.) enumeravimus, quotquot ſcriptorum teſtimonia ac experientia nobis ſuppeditant, cauſas procatarcticas ventriculi Inflammationis. De remotis, quæ & prædiſponentes audiunt, pauca his ſubnectere animus eſt. Hæ dicuntur, quæ ventriculum noſtrum prædiſponunt, ut, ſi accedant ex occaſionalibus paſſim enarratis, quædam, longe facilius ac certius noſter affectus naſcatur, quamquidem fieret, in aliis, ubi talis prædiſpoſitio non adfuiſſet. Huc nunc 1°. refero nimiam ventriculi ſenſibilitatem, quacunque de cauſa natam; qua fit, ut ventriculus, minus retundendo ſtimulanti aptus, ab eadem cauſa plus ſtimuletur ac irritetur, quam quidem minus ſenſilis ventriculus, poſito ſtimulo eodem, afficeretur. Huc 2°. vaſculorum per ejusmet ſubſtantiam permeantium, naturalis capacitas minor, quacunque ex cauſa exiſtens, qua fit, ut citius impermeabilitati conciliandæ, rurſum poſita eadem cauſa, ac impetrandæ valeant; vel & ipſorum liquidorum transvehendorum ſpiſſitudo latens, pertinet. Defectus 3°. liquidi, parietes cavi obliniendis, muci nomine venientis, unde iterum ceteris paribus longe facilius afficietur ventriculus, poſita eadem cauſa, quam e contra, non omittendus. Tandem 4°. ac ultimo obſtructiones inertes, lentæ, viſcidæ, in eo latentes, quibus fit; ut accedente cauſa magis compingente & ſimul ſtimulante, ex occaſionalibus quacunque, in veram Inflammationem prona ſit conditio, huc omnino referendæ. His nunc rite conſideratis,

patet unicuique intuenti, has remotas non ſolummodo præexiſtere poſſe; verum & quod, ſi occaſionales cadant, vel applicentur, ad ventriculum, memoratas haſce in ſe recondentem longe ac multo citius noſtro affectu ille poſſit affici, quam e contra. Hinc, nullo modo prætermitti debere, ſtatuo. Ponatur etenim homo, cui hæreat recondita in ventriculo, una vel altera, ex allatis remota; ac applicentur tali prædiſpoſito ventriculo quædam ex occaſionalibus, nonne longe facilius in tali, quam alio non prædiſpoſito, orietur vera inflammatoria diatheſis? ſic enim V. G. lateant in ventriculo lentæ ac inertes obſtructiones, quæ diu aliquando ſine noxa feruntur, verum ex occaſionalibus tunc accedant tales, quæ per ſe ſimiles inducunt, vel præſentes incitant, nonne tunc, aucto ſimul & incitato ſtimulo inflammatorio, his activis redditis, citius, quam alias factum fuiſſet, inducetur Inflammatio? Jdem de aliis verum eſſe, nemo in dubium vocat. Quare, non opus fore arbitramur, brevitati cum ſtudeamus, plura adducere exempla. Attendenti ſponte ac ſtatim veritas conſtabit. Attamen non putandum, ac ſi abſolute ſemper talis prædiſpoſitio, antequam Inflammatio naſcatur, præexiſtere deberet & requireretur. Contrarium enim ſæpiſſime obtinet. Cauſæ procatarcticæ enim adeo efficaces ac validæ non raro ſunt, ut, in hominibus ſaniſſimis, robuſtiſſimum ac optime conſtitutum ventriculum habentibus, ſine remotarum concurſu, noſtrum producere poſſint malum.

§. XIV.

Pervenimus jam, juxta propoſitum inveſtigationis noſtræ curſum (§. III. n°. 3.) ad Prognoſin. Quare, ſpectatis 1°. uſibus adeo abſolute neceſſariis, quos in œconomia præſtat ventriculus animali, adeoque univerſalibus; ac 2°. mira ejus cum toto quaſi organo compoſito conſpiratione; (unde

Quin-

Quintus Serenus eo reſpiciens, non ineleganter certe, ventriculum noſtrum Regem univerſi corporis, dicendo:

Qui Stomachum Regem totius corporis eſſe
Contendant, vera niti ratione videntur.
Hujus enim validus firmat tenor omnia membra;
Et contra, ejusdem franguntur cuncta dolore.

Pronunciavit;) ac 3°. tandem difficili admodum præ ſede loci affecti, & ſymptomatibus concomitantibus, valde moleſtis (§. IV.) traditis, Artis medicæ adjutamento impedito valde; non poteſt alias, quin ſemper plus mali quam boni noſter portendat Affectus. Etenim nonne, cum abolita penitus actione ventriculi, totæ machinæ humanæ ruina imminet totalis? Nonne præterea, perpenſa conſpiratione adeo univerſali, mediantibus innumeris ramificationibus nervoſis, probabiliſſime conciliata, in toto, a ſtimulo validiſſime irritante, corpore convulſiones enormes, ſubito lethales, ſuſcitari poſſunt? ac ultimo nonne, conſiderata admodum ad benignam mali ſublationem, hic omnino vetita, neceſſaria dilutione, absque qua benigna reſolutio non exſpectanda; omnia in deterius ruant, ac certo lethali terminentur in mortem fato neceſſe eſt?

Verum ut claram firmamque ſiſtamus prognoſin, notandum præterea omnino, affectum noſtrum majus minusve portendere periculum, (a) pro differentia ſubjectorum vel corporum, in quæ tyrannidem ſuam agit; (b) pro diverſitate cauſarum hunc producentium, & (c) reſpectu graviorum leviorumve, hunc concomitantium, ſymptomatum.

Quo ad ſubjecta obſervamus & hic idem, quod in quibuscunque Inflammationibus verum eſt, obtinere; homines nempe ſtructuræ organicæ laxioris facilius multo, re attamen in univerſum conſiderata, benignæ reſolutioni conciliandæ aptiora habere corpora, quam alii ſtrictioris compagis. Unde licet in genere ſtatuere, feminas ac infantes,

ce-

ceteris paribus, leviori molimine Naturæ ac Artis opera faciliori, quam viri, adulti, & rigidiſſimi ac validis exercitiis dediti homines, ab hoc mali genere liberari poſſe.

Quod nunc cauſarum attinet differentiam, quæ morbum magis minusve periculoſum reddunt, oportet merito ut ponamus; quod, quo plures concurrant, & quo validiores ac acriores hæ ſint, ſive ex procatarcticis, ſive remotis, vel binis claſſibus ſimul petantur, eo periculoſiores effectus ponant. Quod, ſicut ubique procedit, ita & hic axiomatis locum tenet. Non opus fore arbitramur, omnes ſeorſim in ſpecie percurrere. Quippe quod res tædioſa non ſolum foret admodum, verum & ſuo loco peracta cerni poſſit. Sufficiat hinc in genere hoc annuiſſe, ut majus vel minus periculum exinde emetiretur. Sic E. cauſa, nonne vehementiora ac periculoſiora omnia, ſi venena ingeſta ſint, ſunt habenda? Nonne ubi metaſtatica materies hunc morbum, corpore a prægreſſo morbo debili & exhauſto quaſi, ac viribus deſtituto exiſtente, produxit, periculi metus major? Omnino certe. Idem de ceteris applicandum, ut breves ſimus, pro re nata cuique relinquimus.

Tandem ſymptomatum, morbum concomitantium noſtrum, reſpectu; magis minusve periculoſus pronunciari poteſt ac debet noſter affectus. In genere bonum eſt, ægrum facile morbum ferre, anxietatem nullam, exiguam ſaltem pati, dolorem minus moleſtum non admodum acutum eſſe, ac calorem æquabiliter per totum diffuſum eſſe corpus, non ſummopere naturalem excedentem, vomitum nullum ſaltem non validum adeſſe, neque doloris exacerbationem validam ſubactu ingeſtionis, quocunque ſcopo, ſive nomine alimenti, vel potulenti, vel & medicamenti, tentatæ; ſomnum, perſpirationem inſenſibilem, urinam, alvi ſubductionem, ſitim &c. bona & laudabilia; ac tandem vulgaria inflammationis pertinacioris ſymptomata, ut delirium, animi deliquia, & quæ plura (§. IV.) tradita, eſſe abſentia, aut mitiora

ſaltem

ſaltem longe. His ita poſitis & obſervatis, bonum præſagiri tuto poteſt Medicus. Etenim, re ita revera ſeſe habente, minime exinde morietur æger, ſed, vel leviſſimo Naturæ adjuvamine ſolo, vel Artis medicæ auxilio directrice & curatrice leviori, ſubito reſolutio benigna obtinebitur. Verum, contrarium ſi obtinet, quod plerumque; nam rariſſime, ſi unquam, tam levibus Inflammatio ventriculi ſtipatur ſymptomatibus; ſummum haud raro imminet periculum, quod eo majus, quo plura ac ferociora ex his adſint ſymptomata. ſi vero dolor continuo ingraveſcat, cum incendio febris continuæ acutæ vehementi, juxta Medicinæ Parentem, licet tuto ſummum augurari, in quo verſetur æger, periculum. Dicit autem magnus ille *Hippocrates: in Febribus circa ventriculum & fortis æſtus & oris ventriculi dolor, malum.* Sect. 4. aphor. 65. Et textu ſubſequenti: *in Febribus acutus convulſiones, & circa viſcera dolores vehementes, malum* His enim, ſi plura vehementia, ex ante memoratis, accedant ſymptomata, maxime Vomitus terribilis, cum ſingultu conjunctus, eo major ſecuturi funeſti eventus eluceſcit metus. Qui, ſicut in omnibus morbis acutis valde metuendus, præcipue, ſi fiat cum diſphoria, ut ex augmento ſymptomatum conſtat; ita etiam in noſtro affectu periculo non vacat. Pluries allatus *Senex* dicit: *a vomitu ſingultus, & oculi rubri, malum.* Sect. 7a aphor. 3. Verbo, quo plura, ex Lethalem præſagientibus eventum ſignis, ac vehementiora gravioraque, ut anxietates, deliria, ſudor frigidus, frigoris in exterioribus, urentis e contra in interioribus caloris ſenſus, aliaque, ſuo loco allata, concurrant ſymptomata; eo malum certo certius ac abſolute lethalius pronunciant. Etenim juxta *Hippocratem: ſudores frigidi, cum acuta quidem febre evenientes mortem ſignificant.* aphor. 37. ſect. 4. Et aphor. 48. ejusdem ſectionis *in non intermittentibus febribus, ſi externa quidem frigida ſint, interna vero urantur, ſitimque habeant, Lethale.* Præter aurea hæcce & veriſſima teſtimonia, quæ omnium applauſum, ceu ore divino quaſi nata, omnino merentur;

tur; & experientia, triſti eventu, quotidiana idem porro confirmatur.

§. XV.

Exigit jam ordo a nobis, ut exitum affectus noſtri (§.III. n.4.) propoſitum, proxime inveſtigationi ſubjiciamus noſtræ. Terminatur, ſicut alius quicunque, vel in ſanitatem, vel in alios morbos, vel in mortem. In Sanitatem tranſit autem aut reſolutione benigna, vi vitæ ſuperſtitis, vel remediis reſpective congruis, tempeſtive adhibitis, impetrata; quando materies vaſis incarcerata & incluſa ſolvitur, vel vaſa ita diſponuntur, ut materies obſtruens immeabilis in venas continuas pergere, reacquiſita priſtina fluiditate, poſſit; vel in vaſa majora, retropulſione, retroagi valeat, ſedato inſuper ſtimulo cauſæ irritantis. Præterea in ſanitatem ſe vertit, absque reſolutione benigna, mediante evacuatione critica quacunque; quando coctione materies ſoluta, mobilis reddita, ex arteriis in venas tranſit, & non aſſimilata penitus in priſtinum fluorem, circulantibus liquidis admiſta, ad hoc illudve organum, excretioni dicatum, deponatur, ſicque excernatur; ut per urinam, ſudorem &c. Ut hoc fiat, quis non videt? Requiri, ut inflammatio non ſit rebellis, ſed omnia ſint leviora, cum optatum hunc minime alias exitum admittat. Quod ſi ita ſe habeat, cognoſcitur ex leviori ſymptomatum afflictione; & apparente uno, vel altero, magis minusve benigno, exitu, ſive per reſolutionem benignam, quando mox omnia ſilent ac remittunt; ſive per evacuationem criticam quamcunque, finita & prægreſſa coctione, ubi, excretione tali, mali materies excernitur, cum remiſſione atque plenaria ceſſatione atrocitatis affectus.

Porro 2°. exit affectus noſter in alios morbos, ut ſuppurationem, gangrænam, ſcirrhum ac ultimo cancrum. In Suppurationem enim (a) quando irreſolubilis natura, vel arte, phlegmones, ſenſim ſenſimque auctis Inflammationis rubræ ſympto-

ſymptomatibus, talem ſingularem, vi Naturæ, affectat mutationem, ut, quoad ſolida & fluida deſtructa ac cocta, convertatur in unum blandum, album, plus minusve craſſum, æquale; inſipidum, inodorum, & pinguedinoſum liquidum. Pauca hæc ſufficiant de exitu Affectus noſtri in ſuppuratorium morbum, ne indagationis noſtræ propoſitos excedamus Limites. Præcipue cum & res iſthæc ab aliis, ex propoſito, peracta exſtat. Verum enim vero, quum curatricis Artis directio ac intentio valde differat, ratione Inflammationis ipſius, antequam adepta ſit conditionem irreſolubilem, & poſtquam jam hæc, irreſolubilis reddita, veram affectavit inivitque ſuppurationem; operæ pretium erit, ut paucis ſigna, quibus hanc naſcituram, aut jam natam, ſciat Medicus, perpendamus. Quare in genere notandum, prævideri illam ceu naſcituram, ſi ſymptomata jam ab origine adſint atrocia ſatque acria, (§. IV.) memorata; illaque non remittere circa quartum vel circiter diem, nullis auſcultantia remediis victuique debitis, verum pertinaciter, ſenſim aucta, perſeverent. Quare peracta periodo prima, ſub qua, nec alia, in reſolutionem, ut cedat, benignam, unice locum habet ſpes ſecuturi, omnium adoptatiſſimi, exitus; ac nulla, per quæcunque emunctoria, apparente evacuatione critica, præſagiri certo licet adventum ſuppurationis inſtantis. Hanc jam natam innoteſcit, ex ſingulari admodum affectione horripulationis, remiſſione, præterlapſo termino primo, ſubitanea plerorumque ſymptomatum, ut caloris, doloris, febris, &c. nam juxta Medicinæ oraculum; *circa puris generationes, dolores, & febres magis accidunt, quam ipſo facto.* Ut conſtat ex aphor. 47. ſect. 2. adeo ut hæc omnia, quoad ſenſus, mitius tunc videantur ægrum affligere noſtrum. His alia porro ſucceſſu temporis accedunt, ut vomitus puris ex rupto apoſthemate, vel, ni tempeſtive educatur, ponderis in abdomine hærentis ſenſatio, ac ex pure rapto in maſſam ſanguineam, febricula lenta, circa veſperam ut plurimum intenſa, ſudor nocturnus, debilitas, macies, pallidus color, &c. Verum poſteriora hæc hujus, ut disquirantur, non ſunt loci. Hisce ita diſpoſitis,

D 2 nul-

nullum dubium reſtat, quin revera nata jam fuerit ſuppurationis periodus.

Cognito jam Inflammationis, cum ſuis ſignis in ſuppurationem exitu, neceſſe eſt, ut nos conferamus (b) ad Gangrænam. Hæc nunc, ex Inflammatorio irreſolubili oriunda tumore, propter humorum acrimoniam validam, & motum humorum incitatiſſimum, ubi tragædiam terminabit, indicantium vicem gerunt ſequentia: Inflammatio pertinaciſſima, violentiſſima prægreſſa, omnia Naturæ vel Artis, ut in benignam reſolutionem, vel laudabilem ſuppurationem cedat, conamina reſpuens, vehementibus præterea valde ſymptomatibus ſtipata, ut ſunt anxietas ſumma ac intollerabilis, pulſus deficiens ac vacillans, extremorum frigus, interiorum ſummus æſtus, debilitas ſubitanea &c., Hanc vero jam natam exclamant, memorata funeſta ſymptomata prægreſſa, excretio materiæ ichoroſæ, lividæ, atræ, fœtidiſſimæ vomitu, ſimilisque forma diarrhææ per alvum, facies Hippocratica ac ultimo ſudor frigidus. Quæ, ſi obtineant, non ſolum præſentis ac jam natæ gangrænæ præbent indicia; verum & mortis jam jam inſtantis, inevitabilis ſuppeditant teſtimonium. Ubi nunc exitum in Scirrhum ſit affecturus noſter affectus (c.), jam inveſtigandum eſt. Hic autem enaſcitur, quando materies obſtruens Inflammatoria lentior, vaſis incluſa & incarcerata, deſtituta parte ſua mobiliore ac liquidiore, cum iis in tumorem durum & indolentem coaleſcit. Qui exiſtens, in noſtro, difficile admodum, caſu præſagitur. Signa tamen quædam, illum præſentem teſtantia libet nobis enumerare. Inter hæc primaria ſunt ſequentia: prægreſſa Inflammatio, neque reſolutione, neque evacuatione critica, neque ſuppuratione terminata, pondus plus minus premens in loco ante Inflammato; digeſtio difficilis, anxietas, præcipue poſt ingeſtionem alimentorum, vel paſtum exacerbata; ſitis; nauſea; vomitus &c. Hæc nunc & ſimilia alia ſi adſint, maxima tumoris ſcirrhoſi præbetur ſuſpicio. Ultimo (d) cancroſus jam ſi exiſtat tumor, cognoſcitur ex memoratis

tis mox, prægreſſis & notatis; accedentibus titillatione, dolore, ſenſim ſenſimque aucto, lancinante, punctorio, ex ingeſtis exacerbato; augmento ſenſationis prementis; æſtu topico, ac deinceps univerſali, & pluribus. Hac ſuper re, ſi quis plura velit, adeat *Aphor. Cl. Boerh:*, Cap. *de ſchirrho ac cancro.* Quomodo tandem 3°. exeat in Mortem, ex præmiſſis, quisque facile eruere poterit, noſter affectus.

§. XVI.

Eo jam deductum ſpeciminis noſtri filum (§. III. n°. 5.), ut proxime via nobis pateat ad Curam noſtri affectus explanandam. Hæc, generalis minime, differt ratione diverſitatis cauſarum, ſymptomatum, conditionis morbi, ſtatus, exitusque. Quare juxta memoratas, differentias dirigenda ac varianda medela, pro ut ſana ac rationalis cognitio Practica, firma Theoria fundata, dictitat. Hoc nunc verum eſſe nemo dubitat. Etenim, certiſſime curæ directionem haud raro eſſe variandam, pro ut differant cauſæ procatarcticæ vel occaſionales, aperta res eſt. Sic enim ubi aër, qualitatibus ſuis (§. VIII.) allatis & nocivis, cauſa præſentis Inflammationis ventriculi exiſtit, nonne, quantum poſſibile ejus impeditus, diſſipatione per venti admiſſionem ad locum, vapore, mutatione ac mundatione loci &c. ingreſſus, neceſſarius? Nonne ad curam porro confert, acrimoniæ, ex cibis potibusve, vel venenis inductæ, vel in corpore genitæ ipſo, contraria ac plane oppoſita exhibere remedia? Imo certe. Nam his tunc, ita agendo, deſumitur occaſio, ulterius vim ſuam morbificam & acrem exercendi in ventriculum, adaugendique ſic ac exaſperandi morbum. Sic venena cauſtica quæcunque, ſi in cauſa ſint, lactis cum oleo miti quodam expreſſo largiori uſu, egregie, & minime per alia, optima ut ut remedia; enervari poſſunt ac debent. Bilis præterea incenſa & delata ad ventriculum, ibique ſtimulo acerrimo ſuo, noſtrum morbum proritans, correcta per temperantia, nitroſa, rhabarbari-

na, acidula &c. & domata, ſummopere ad medelam facit. Idem de aliis verum eſſe omnino tenendum. Harum tunc correctio in initio per plane oppoſita, pro ut variant diverſa; non parum ad curam facilitandam certe confert. Verum præterea alia in Inflammatione adhuc reſolubili, alia in irreſolubili, alia in aliis, ſupra memoratis, morbi conditionibus variis, curæ in ſpecie habenda ac ſequenda eſt ratio. Quam primum itaque morbus noſter verſatur adhuc in ſtatu reſolubili, qui cognoſcitur ex traditis (§. XV. n°. 1.) omni opera incumbendum, ut hæc procuretur, ne in ſuppurationem, aliosque tranſeat noſter affectus, ſibi commiſſus, affectetque exitus. Quare in omnibus ceteris Inflammationibus tantopere celebrata ac laudata, ſtatim ab initio inſtituatur (*a*) venæ ſectio larga. Etenim hac, impetu a tergo imminuto ac refrænato, egregie præbetur Naturæ occaſio reſolutionem benignam procurandi, vel materiem incarceratam in vaſa majora retropellendi. Quum alias, augente ac creſcente continuo impetu, diſpoſitio prona foret in immedicabiles & funeſtos, ſæpe pejores, affectus. Hoc peracto, ni benigna ſtatim ſequatur reſolutio, ſi Medicus cernat, Naturam moliri, coctione prægreſſa, evacuationem criticam quamcunque, hæc, in ſalutari ſuo conamine ac opera, neutiquam interturbanda; verum oportet, rebus ita poſitis, agere ſpectatorem potius & exſpectare per quam viam Natura ſit exoneratura ac liberatura corpus. Quæ evacuatio itaque non ſiſtenda, verum promovenda, moderanda. Notandum hoc locum tantum habere, ubi enim ſigna tale quid indicantia, ex prioribus nota, adſint; ceterum non. Sic ante quartum vel circiter diem, ſi appareat urina craſſa, cocta, cum ſedimento multo, laudabili, mediante hocce emunctorio materiem eliminabit natura morboſam. De ſudore, & ceteris evacuationibus criticis per quamcunque viam productis; idem obtineri poteſt. Unde tunc, pro diverſitate circumſtantiarum, diverſa formetur, neceſſe eſt, indicatio, ex indicantibus diverſis, expetita alia atque alia. Verum enim vero nihil de hiſce apparente, nulla

la reſolutione, coctione; neque critica excretione locum habente, non cunctandum; at audaciter, per ſua arma, Medico aggrediendum eſt hoſtem. Quare, rei neceſſitate urgente, repetit, integris adhuc viribus, ſanguinis miſſionem. Quæ, cum periculum, ut dicunt in mora, obſervatis obſervandis, iterum nonnunquam iteranda. Peracta phlebotomia (*b*) remedia, quæ adhibenda, diluentium nomine veniunt. His enim ſi ullis, maximopere incraſſatum ſolvitur, compactum attenuatur, atque reſolutioni benignæ facilitandæ, par redditur. Inter hæc nunc primo loco princeps Aqua ſiſtit remedium, omnis acrimoniæ expers, hancque egregie obtundens. Hæc nunc eo majorem exerit efficaciam, ſi ei admiſta ſint talia, quæ ſaponacea vi pollent. Unde decocta ex Radicibus & Herbis ſaponaceis, nitroſis, ut Endiv. Portulac., Taraxac., Gramin., Scorzonner., Quinq., aper., rad., Similibusque aliis plurimis; additis Nitro, ſale Prunello, Polychreſto, Melle, vel Oxymelle ſimplici, Manna aqua ſoluta, Pulp. Caſſ., Rob. Ribeſ. Syrup. Viol., Quinque rad. aper., e Rub. Ideo &c.; tantopere ab omnibus Practicis, & merito, ſummis celebrantur laudibus. Ex his nunc variæ concinnari poſſunt formulæ; quibus, pro rerum circumſtantia, addi poſſunt, ubi metus, ne furor ægros prehendat, varia, fortioribus vitatis, mutatis mutandis, lenia ſomnifica medicamenta; ut e Flor. pap. rhæad., cap. vel ſem. pap. albi &c. parata. Neque & non Emulſiones, ex ſimilibus paratæ ex uſu ſunt medicamentis. Quippe quod hæ, blanditie ac vi ſaponacea ſua, egregie leniant, obtundant, emolliant, ſicque reſolutioni impetrandæ quam optime vacent. Hæc nunc, ſcopo ut ſatisfaciant Medici, ſinique reſpondeant propoſito, calida, minime frigida ingerenda; ne, materiem obſtruentem magis adhuc compingendo noceant, morbumque ſic exaſperent. Quin & etiam prudentis Medici hic eſt monere, ne, nimia copia, unica vice, hiſce utatur æger, ſed parca ſimul, at ſæpiſſime tamen repetita, doſi. Etenim alias, ventriculus in contractionem ſollicita ac iis

aggra-

aggravata, vix ea retinere poſſet; verum, vomituritione ſuſcitata, foras ejiceret. Præterea ex nimia repletione ac expanſione metuenda omnino foret gangræna. Indicationi huic porro reſpondent fomenta, & Cataplasmata, ex emollientibus, ut Malv., Alth., flor. ſambuc., Melilot., chamæmill., ſimilibusque vegetabilibus, cum lacte coctis, aliisque parata; Extus calide appoſita, ſæpe renovanda, riteque diſponenda, ne frigeſcant. Tandem huc ſpectant enemata, minime ut excretione alvina liquida excernantur, proſternanturque ſic vires, verum ut, laxatione & lubricatione inducta, diluentia, emollientia, nitroſa, e quibus parentur, poſſent penetrare corpus, perque illud transvehi, ſicque diluere cœtam ac univerſam humorum maſſam. Hunc in finem purgantia draſtica, valida ſtimulantia iis non admiſeeuatnr, oportet. Etenim practicæ admonitiones, interque hac Hippocratis ipſius, una quaſi omnes conclamant ore, purgantia fortiora, in noſtro morbo, ſimilibusque affectibus, ceu media abſolute Lethifera fugienda. Verum adhibeantur talia, quæ diluendo, emolliendo, attenuando, memoratæ ſatisfacere indicationi valent. Neque & etiam Emetico minime, obſervationibus teſtantibus fidendum; a quo magnus Sydenhamus mortem ſubortam vidit. Præterea magna Medico opus eſt circumſpectione, ne, antequam de Inflammationis topicæ noſtræ abſentia certus ſit, exhibeat ſpirituoſa, calidiora, carminantium nomine venientia. Quum hæc ceterum, augendo Inflammationem illam diram, ægrum, in ſubitaneum ac inevitabilem periculi momentanei metum, conjiciant; neceſſe eſt. Axioma tandem Hippocraticum, victus in morbis acutis obſervandi ratione effatum, quam exactiſſime, ceu regula divina ac norma aurea, obſervandum, minime obliviſcendum. Sic enim audit: *Ubi igitur peracutus eſt morbus, ſtatim extremos habet labores, & extreme tenuiſſimo victu uti neceſſe eſt.* Sect. 1. aphor. 7. Quare fugienda & interdicenda omnia viſcida, leguminoſa, digeſtione ſana ac valida actione ventriculi indigentia; ſed e contra concedenda & propinanda tenuia, mitia, blanda, liqui-

liquidiora &c. ſic Lactis ſerum, lac ebutyratum, decoctum Avenæ, Hord. Lactuc. Taraxac. Scorzonner. vel jura carnium juniorum, quibus acetoſa incocta, vel ſuccus citri additus, concedenda. Hæc enim & ſimilia, rite uſurpata, egregium habent uſum, nec aggravant. Hiſce pergendum aliquamdiu poſt debellatum morbum, ne recidivum patiatur æger, vel ſaltem moleſte afficiatur. Etenim ventriculus, debilis adhuc, priſtinam hauddum reacquiſivit activitatem, neque nimiam extenſionem adhucdum fert.

§. XVII.

Si vero (§. XVI.) commendatis non, vel nimis ſero adhibitis, neque reſolutio benigna, neque ulla evacuatio nata ſit, verum e contra, 3°. vel 4°. præterlapſo die, omnia inflammationis ingravaſcant ſymptomata (§. IV.) recenſita, morbum noſtrum exitum affecturum fore in ſuppurationem, cum ſuis ſignis (§. XV. n°. 2. l. (*a*)) traditam, omnino cenſendum. Hæc nunc, cum alius laudabilis nullus cognitus ſit exitus, qui in ſalutem ægri verti poſſit, quantocyus propromovenda; deinde pure nato, abſceſſus ad citam commodamque puris eductionem diſponendus; ac tandem partis ſuppuratæ conſolidatio procuranda. Primariæ ac præcipuæ hæ, in tali rerum circumſtantia, ac ſolæ fere ſunt indicationes, plures inde licet efformari poſſent, quibus Medico ſatisfaciendum eſt. Priori in genere reſpondent fini talia, quæ Naturam operi ſuppuratorio aptam ſervant; hanc, ſi ſufficiat huic parem conſervando; vel eandem, ubi languet, inducta levi febriculæ ſpecie, incitando; vel, ubi nimis vivida, moderando. Hunc in finem, pro re nata, varia ac plane oppoſita in uſum vocanda & adhibenda media. Quare in ſtatu vigoris debiti, nutrimenta, leviora modo, ut ſufficientia; commendanda. In altero autem, vigorem illum requiſitum incitantia, ut cardiaca, leniter calefacientia, ac ſtimulantia remedia adhibeantur, neceſſe eſt; varia. In tertio enim caſu talia, quæ motum nimium refrænant, uſurpanda, ut Antiphlogiſtica diverſa. Quorum quæ eligenda, in ſpecie determinari nimime poteſt; cum, pro diverſitate circumſtantiarum varia rum, varia expeti debeant. Quare eorundem enarrationem, ele-

ctionem, modum exhibendi &c. ſilentio præterimus, ac Medico ſagaci & prudenti, in ſpecie eligenda, moderanda, & ad caſum præſentem, prout aliter atque aliter requiritur, accommodanda relinquimus. At ingenere tamen, ceu optima, Ars comprobat Emollientia tam externa, quam interna. Quippe quod hæc, disruptioni vaſculorum faciliori operando, calorem tumori Inflammatorio ſuppuranti præbendo, ac eundem inſuccando, egregie ſuppurationi accelerandæ intenta ac apta videantur. Utatur itaque, ceu medicina, æger decoctis emollientibus, diluentibusque (§. XVI.) laudatis, omiſſis nitroſis, reſolventibus; quibus deinceps Vitell. ovor., Mel, ac alia emollientia, mucilaginoſa, ac detergentia addi poſſunt varia. Similiaque tandem cataplasmata farinoſa, mucilaginoſa, oleoſa blanda, extus applicanda Epigaſtricæ regioni. Victus petatur ex ſimilibus ſupra laudatis.

Quod ſi nunc ex ſignis, loco citato notatis, conſtet, abſceſſum natum & ad maturitatem perveniſſe, puris eductio, quantum poſſibile, promovenda. Varia alias mala ex diuturniori ejus remora, tum in cavo ipſo, tum in reliquo enaſci poſſent corpore. Horum recenſioni non eſt, ut hic vacemus. Quare ſimilibus inſiſtendum, ut emollitus abſceſſus fundat ſuum pus. Nam ceterum ſoli Naturæ opus hoc relinquendum, præ ſitu viſceris, cetera Artis adjutamenta, neque manuum contrectationem, minime admittente. Quo nunc fuſo videndum, quamnam ſibi eligat, ad illud eliminandum, Natura viam. Quæ ſequenda, ac caute, per eandem viam, moderanda eliminatio, pro ut res ſit conſtituta; ne Natura a ſalutari conamine aberret ſuo.

Verum tandem, pure educto, oportet ulceris conſolidationi proſpicere. Hæc, non raro difficilis admodum, tum præ mundatione admodum impedita, propter digeſtivorum, ſic dictorum, directam ac tranquillam vetitam applicationem; tum præ actione fere continua Ventriculi in ingeſta, tenuia ac liquidiora licet; a Natura fere ſola, in noſtro caſu exſpectanda. Unicum tamen hoc probe obſervetur, multum omnino ad conſolidationem conferens felicem; ſcilicet ut caveat ſib æger, ne Ventriculus ab ingeſtis quibuscunque di-

diſtendatur, ſicque Natura impediatur, cum, ni tranquillus, plus minusve contractus ſemper ſit Ventriculus, ulceris coalitio valde extendatur & moretur. Minime præterea acria ingerenda; verum talia, quæ blanditie ſua, nec non parca doſi ſimul ingeſta, Naturam nec onerare, nec in opere ſubvertere valent. Victus hinc, qui conveniat, ſit lacteus, & ſimul ex blandiſſimis vegetabilibus ſaponaceis, putredini reſiſtentibus, petitus. Unde pro potu ordinario, ſequens ſcilicet aquæ doſis tripla, cum unica lactis miſta, egregie confert. Pro medicina utetur æger decoctis deterſivis, ut e Bardan., Chin., Stipit. dulcamar., addita Liquir, vel antea memoratis &c., paratis; ut & infuſis ex ſimilibus compoſitis, ut Cent. min., Marrub., Hed. terr., Hyſſop., Beton., Sanicul. &c. quibus addi Balſamica tandem poſſunt, vitatis acrioribus, ut Oliban., Maſtich., Myrrh., Sperm. ceti &c; e quibus pilulæ efformari poſſunt, quarum uſus ſimul cum decocto uno vel altero, vel infuſo ex laudatis parato, diu protractus, egregiam ſæpe adferunt ac adoptatam conſolidattionem. Sique tandem, urgentibus vigiliis, opiata deſiderentur, hæc non ſint validiora, verum leniora. Omnium hinc optima, ſi ex Papaverinis additis Syrup. diacod., Pap. alb., vel ſimilibus parentur, in noſtro caſu ſunt habenda.

§. XVIII.

Gangrænoſus quod ſi obtineat tumor (§.XV. n°. 2. lit. (*b*)) deſcriptus, noſter, nulla remediorum genera hactenus comperta ullus Medicorum habet, quæ huic malo mederi valent. Quare cum tali triſtiſſimo ſub rerum ſtatu, moriendum ex neceſſitate inevitabili exinde ſit ægro; ſatius ac convenientius ducimus nihil agere, quam mortem accelerando, famam periclitari noſtram. Etenim nulla, optima licet, exſtant Artis adminicula, quæ funeſtum illud, quod preſens hic jam exiſtit, fatum avertere poſſint. Hinc unicum levamen in eo conſiſtit, ut mortem amplectando, in ea, ceu omnium miſeriarum fine, ſolatium quærant.

Ubi nunc Inflammatio noſtra terminata eſt in ſcirrhum, (quem

par. ſupra allato, ad num: eundem, lit. (*c*)) cum ſignis, eum præſentem ſuſpicantibus & teſtantibus, expoſuimus; rerum quidem ſtatus deſperatus, non adeo tamen ſemper abſolute per ſe ſtatim ac cito funeſtus. Etenim diu aliquando, ſine ingenti noxa & periculo ſubitaneo latere poteſt. Verum incertus & dubius nihilominus tamen, ut plurimum, eſt habendus ac periculo plenus. Præcipue cum & hic ulla nemo certa habet Antidota. Attamen, cum ſat diu aliquando cum hoc vitam degant miſeri illi, modo cura palliativa ipſis reſpiciat Ars; hi haud ſtatim ſibimet omnino relinquendi ſunt ipſi ægri, verum leniendo & præcavendo, quantum poſſibile eſt, ſymptomatum acerbitatem, Arti conſervatrici committendi. Hæc tunc omnium interdicit acrium, ſtimulantium quoruncunque uſum, ac non, niſi ſola blanda emollientia, mucilaginoſa, valido haud indigentia actionis Ventriculi vigore, ceu optima commendat. Unde pro medicina interna & victu conveniunt talia; decocta & alimenta, quæ jam commendata ſupra cerni poſſunt. Quorum uſus ac victus habendam rationem, pro re nata, cuique dirigendam in ſpecie relinquimus. quibus tantum hoc addendum habemus, quod Leniorum narcoticorum uſus, diutius protractus ac ſæpies repetitus, hic minime noceat; verum multum, ad lenimen obſevientium ſymptomatum, vehementer affligentium, conferat.

(Tandem ac ultimo cancer, eodem par. ac n°. lit. (d)) deſcriptus, ſi ex ſcirrho quacunque de cauſa naſcatur; immedicabilem ac teterrimum rerum ponit ac adfert ſtatum. Quare cum nullam medelam admittat, ſola artis intentio in eo incumbat, ut, maxime urgentia ſymptomata, palliando mitiora reddat, ac tolerabiliora. Hoc unice, ſi adhuc poſſibile, a ſolo leniſſimorum ac blandiorum medicaminum uſu, ad ſcirrhum ſupra laudatorum, expectandum. Ceterum nil agendum. Etenim effatum aureum, hac in re rite obſervandum, ſapiens nobis reliquit Medicorum *Princeps: Quibus occulti cancri fiunt, eos non curare melius eſt. Curati enim cito pereunt. non curati vero longius tempus perdurant.* aph. 38. ſect. 6. Hinc præſtat agere nihil, ſaltem non, ni bonum, lenem, ac blandum victum, habita debiti regimi-

nis

nis ratione, palliandi gratia, præter laudata commendare remedia. Quippe quod deſperatiſſimus talis ſtatus, nullis, ut ut optimis, auſcultet remediis; ſed teterrimis ac intolerabilibus ſymptomatibus ſtipatus, miſerrimum violenter excruciat ægrum, donec ultimam exſpiraverit ille vitæ auram.

Ecce jam B. L. thema noſtrum, determinatos ad deductum limites, ut abſolutum; Quare, veniam pro laude, nihilque aliud, unice affectans, huic impono

FINEM.

THESES.

I.

Specifica univerſalia, in foro exſtare medico, nulla ſtatuo.

II.

Remedia licet optima quæcunque, incaute adhibita, venenatam induere poſſunt omnino vim.

III.

Idioſyncraſia, mirum in modum, remediorum immutat nonnunquam efficaciam.

IV.

Incurabiles viſi morbi non ſemper ſibi relinquendi.

V.

Morborum acutorum, ratione ſalutis vel mortis, plerumque prognoſis, haud raro valde incerta.

SAGACISSIMO.

JUVENI.

AMICO. INTEGERRIMO.

HENRICO. FRANCISCO. BERNARD.

In. Medicorum. ordinem. adſcripto.

Exornat Medicina, caput Gratatur amico,
Et cumulat plauſus noſtra Camœna ſuo.
Te Medico, plaudunt artes, hominesque, Deæque,
Et cingunt meritum fronte virente caput.
Te Medico, redeunt ægro rediviva jacenti
Membra, Hippocraticâ rite refecta manu.
Te Medico, reſonant docti palatia Phœbi,
Et nitido fundit Pallas ab ore melos.
Macte novâ virtute; tui, Bernarde! labores
Impediunt nomen poſſe perire tuum.
Nos canimus, dum vita, tuas, Cariſſime! laudes
Vinclaque Amicitiæ pectora noſtra ligant.

Φιλίας ἕνεκα.

TER INWYDING

VAN DEN

HEER
HENRICUS FRANCISCUS BERNARD,

Als Geneesheer.

Wie ſpoort myn Zangeres thans aan?
Wie wekt in haar de luſt tot zingen?
My dunkt, ik zie met Lauw'ren blaan,
Een myner Vrienden 't hooft omringen.

Het Leyds Atheen ſchynt gants verheugd,
Ik hoor de Lofbazuinen klinken;
De lucht weergalmt van al de vreugd;
Wel aan 'k laat ook de moed niet zinken.

En 'k voeg my vrolik by den hoop,
Ey zie wie komt my daar ontmoeten!
Het is de Vriendſchap, loop, ey loop,
(Zoo zegt zy) gaat uw Vriend begroeten.

Uw

Uw Vriend BERNARD, *dien ſchrand're geeſt;*
Die in Geneeskonſt te doorzoeken,
Geſtaag een ſpiegel heeft geweeſt,
Voor die zig daar toe dorſt verkloeken.

Dees kroont Minerv thans met een kroon,
Van Dafnes blaad'ren t' zaamgeweeven;
Apol noemt hem met regt zyn zoon;
Hem word d'eer van Arts gegeeven.

Zyt gy 't myn Vriend! wat vreugd! geluk,
Veel hyl, een ſtroom van zeegen
Daal op u neer, noyt kom u druk,
Of ongeval of rampen tegen.

Gaa heen toon 't volk uw groote kunſt;
Word winnaar van ontelb're kwaalen;
En wikkelt u dus in hun gunſt,
Dan zal 't uw vlyt haar loon betaalen.

Dan voerd de Faam uw groote Lof,
Hoe zeer 't de Wangunſt ook mag doemen,
Veel hooger als het ſtarrenhof;
En zal uw Daan alom beroemen.

Nulla ex Arte, ſed Amicitia,
cecinit
A. BALTHAZAAR.